

Interpret. his verbis. *Obscura loca manifestat Scriptura per comparisonem cum clarioribus, quemadmodum illius exemplum illustre extat, Nebem. 8. vers. 9. Sic etiam passim in novô Testamentô Christus & Apostoli Scripturam obscuriorem per Scripturam clariorem explicant. Et Danæus I'agog. Christian. ad loc. Commun. part. 4. lib. 3. cap. 6. Interpretationis Scripturæ ex Scripturâ modus est, quum, ut ait Augustinus ad Volusian. loci cum locis conferuntur, Scriptura sacra cum scripturâ sacrâ comparatur, unius loci obscuri explicatio, ex aliô ejusdem scripturæ locô faciliore affertur, &c. Similiter etiam, & quidem fusè Whitakerus Disputat. de Scripturâ Sacrâ, contra hujus temporis Papistas, Controvers. 1. Quæst. 5. cap. 13, cui titulus, Scripturam esse ex Scripturâ interpretandam. Scriptura, ait, se clarissimè & luculentissimè interpretatur, si nos Scripturam sese interpretantem attendere volumus, etsi non in omnibus abique locis, sic ut dubitationis nihil relinquatur; tamen in plurimis maximeque necessariis, & in summis fidei nostræ capitibus. Et hujus interpretationis exempla habemus in Scripturis. Nam Scriptura, ubi obscurius loquitur, sese explicat aliquando statim in eodem locô, aliquando in aliis locis cumulatè. Atque hóc utrôque genere exemplis paucis illustrat, ac post subjungit. Ejusmodi sunt exempla infinita, in quibus apparet Spiritum Sanctum dedisse operam, ut, quod videbatur obscurius paulò dixisse, mox dilucidè explicaret, omni- que scrupulô lectorem liberaret. Et mox. Et hic mos Scripturæ, ut ad assequendam unius loci veram intelligentiam, nos remittat ad alium, atque hóc modô non insistamus atque acquiescamus in unâ aliquâ parte Scripturæ; sed totum corpus S. voluminum lectione meditationeque nostrâ complectamur. Sunt ergo loca locis conferenda, siquid in Scripturis rectè intelligere, ac tenere volumus. Atque huc etiam facit Basilus, in ἀοκνή. seu Reg. Brevior. Interrog. 276. Quæ ambigua sunt, quæque obscurè dici videntur in quibusdam S. Scripturæ locis, ab iis, quæ in aliis locis aperta ac perspicua sunt, illustrantur.*

2. Hæc autem sententia, sic explicata, quantumvis primâ fronte satis plausibilis appareat, multis tamen magnisque difficultatibus, penitiùs inspicienti, atque accuratiùs ventilanti laborare deprehendetur. Quid enim commercii unius Scripturæ loci cum aliis? aut quid juris, aut prærogativæ hujus in illum, ut per illum aut ex illô interpretandus veniat? An, quæ Matthæus, vel Marcus Christum dixisse narrat, & subobscura videntur legenti, illustranda venient ex iis, quæ commemorat Lucas, aut Johannes, & vice versâ? An non illorum S. Scriptorum, si superessent, jure meritô dolere posset quilibet, sua scripta aliorum explanationi aut inservire, aut obnoxia fieri? An non sibi, suisque scriptis vim inferre, eisque præposterè uti istos interpretes summâ cum ratione contenderent, qui, quæ vera esse pro compertô habebant, literis consignârunt, ut posteritati, serisque nepotibus